



Samelbd.

0/0

die,

7

DE
MOSE MEDIA-
TORE
COMMENTATVR

ET AD
ORATIONES AVDI-
ENDAS

d. III. Febr. A. O. R. clō cl CCXXXVI.

perofficioſe invitāt

M. Michaël Henricus Reinhardus, R.

Gal. III, 19. 20. 21.

Τί ἂν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄρχεις δ' ἔλθῃ τὸ πνεῦμα, ᾧ ἐπὶ γέλωται, διαταγείς δι' ἀγγέλων, ἐν χειρὶ μεσίτη. Ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἂν ἔσῃ ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἔστιν. Ὁ ἂν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν εἴη Θεὸς; Μὴ γένοιτο.

Torgavia, imprimebat Io. Gottlieb Peterfell.

MOSEMEDIA

1808

CONSTITUTION

GRAND NATIONAL

ASSEMBLY

OF THE STATE

OF NEW YORK

IN SENATE





Est profecto locus Paullinus, quem in fronte huius scripturæ indicavi, difficilis, multumque omni tempore variis interpretum expositionibus agitatus, quorum diligentia operosa lectorem potius obruit, quam docet, uti, diversis multorum interpretationibus comparatis, multo, quam ante, incertiores simus. Tantum enim abest, ut studium vel doctrina excellens, quam ad locum hunc explicandum viri doctissimi afferre solent, æquis iudicibus satisfecerit, ut potius nostra ætate abhuc duumviri doctissimi, literarumque divinarum peritissimi, unus Belga, Iacobus Bernardus, Calvinianus a) alter noster Ioan. Christophorus Wolfius b) de obscuritate atque difficultate verborum Paulinorum hic conquirendi iustas se habere causas recte iudicarent. Dum autem illi tenebras Paulinas luce interpretum non ita dispulvas fatentur, uti non plurimum caliginis superfit, eorum testimonium me excusabit, si post infinitum expositionum numerum ego levi facilitate opera interpretari quibusdam videor, quod alii, iique longe eruditissimi pridem operose prosecuti sunt. Sed in illa facilitate explanationis meæ mihi placeo maxime, ut hanc ipsam ob causam post immensam interpretum multitudinem mihi tamen scribendum esse ducam, cum vere in autoris alicuius sententia

A 2

ex-

- a) dans les nouvelles de la republique des lettres. T. I. p. 452. 1705. Ce passage celebre du Chapitre III. vers. 20. a été iusques ici la croix de tous les Interpretes.
- b) hanc verborum obscuritatem nemo prudens negaverit. In curis Philologicis N. T. T. II. ad locum nostrum p. 735.

exponenda, quod facillimum maximeque perspicuum est, idem quoque verissimum sincerissimumque sit.

Omni autem interpretationis difficultatem hic ex eo exoriri, apparet, quod dubitatur, quisnam Paullo sit *ὁ μεσότης*, quem cum Lactantio et Apuleio mediatorem dicamus, et quid doctor divinus ex mediatoris notione colligat et argumentetur. Cum enim c) alii Christum, Servatorem optimum, alii Mosen, a doctore Tarsensi mediatorem dici existiment: ab illis omnibus discedunt, vel potius utrique sententiæ accedunt illi, qui Christum et Mosen copulant et conneantur, atque hunc illius imaginem et simulacrum referre hoc loco d) arbitrantur. Quod si autem Mosen hic mediatorem dici iustis idoneisque argumentis sic demonstraverim, ut lectoribus meis se probet: in sententiis adversariis confutandis laudabiliter negligens esse mihi videor, cum, veritate in lucem protracta, imbecillitate sua corruant mendacia, cumque arrogantia potius quam doctæ diligentia sit, diligentiorum pertinaciorumque in alienis destruendis quam in suis adstruendis dici velle. Primum autem docbo, Mosen recte mediatorem appellari, deinde, ad Paulum accedens, eundem in loco quoque nostro ita nuncupari, ostendam. Utamur autem maxime argumentis nostris, cum sufficere videantur, ut aliorum industria saltem tuto carere possimus. Certe, quum Christus Ebr. XII, 24. *μεσότης νόμος διασφύρα* vocatur, alii sane mediatori, qui fuit foederis antiqui, oppositus esse animadvertitur. Id quod magis intelligitur, ubi Ebr. IX,

15.

- c) Ad has enim tres classes refert dissentientes interpretes D. Henr. Waltherus Gerdes de Christo, unico Abrahami semine, Giesse 1723. in 4to. p. 14 -- 140.
- d) Cum minus appareat, qua ratione id fiat, utar exemplo Baxteri, Angli, qui in Novo Test. suo ita *παρασφύρα* v. 19. To what use then was the Law given? To convince Men of sin, and restrain them from it, and make them know the need of a Mediating saviour; whom Moses typified as a Mediator, in receiving the Law from the Ministry of Angels.

15. Servator maximus eodem nomine appellatur, et mediator fuisse dicitur novi foederis *εις ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάτων*. Sicuti enim foedus novum cum antiquo, et antiqui foederis peccata cum horum abolitione in novo foedere comparantur: ita quoque prioris foederis *μεσίτην* cum posterioris mediatore conferri debere apparet. Cum autem de Christi, summi sacerdotis, praestantia sermo instituitur, Moses cum divino cultu et foedere a se instituto commemoratur, Ebr. VIII, 5. f. cui deinde Servator generis humani antefertur, quippe qui *διαφορώτερος τέτυχε λειτουργίας, ὅσω καὶ κρείττονος ἐστὶ διαθήκης μεσίτης, ἥτις ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίας νενομόθηται*. Certe, nisi maximopere fallor, testamenti veteris et recentioris *λετουργίας* promissiones, constitutionesque, inter se comparatae, plane et perspicue docent, etiam mediatorem melioris foederis ad mediatorem foederis deterioris, qui est Moses, paulo ante nominatus, referendum esse. Dignum commemoratum esse iudico, quod testus ter, neque aliter alibi, praeterquam uno loco, de quo deinde dicendi erit facultas, mediator sic in codice sacro appelletur, ut semper Mosis mediatoris comparatio indicetur. Ieiune autem minusque efficaciter Christum mediator modo novi modo melioris foederis diceretur, nisi, uti foedus foederis, sic mediator mediatori opponeretur, cum certe non magis foedus foederi, quam unius mediator alterius mediatori praestet. Quod si igitur alibi, idque saepius, Mosen mediatorem esse, haud obscure significavit Paulus: profecto etiam nostro loco Mosen mediatorem appellari, fit verisimile, sedque multo magis eo, quod hanc appellationem legislatori Israelis convenire apparet. Est enim *ὁ μεσίτης* Graecis, qui inter partes litigantes medius intercedit, ut litem componat. Ita, qui a Thucydide *ε) μέσος δικαστής* medius iudex dicitur, ab eius scholiaste et interprete ita exponitur, ut eundem *μεσίτην* et *δικαστήν* mediatorem et arbitrum esse ostendar. Suida autem *εἰρηνοποιόν* et pacificatorem vocat. Quocirca media-

A 3

e) L. IV. p. 148.

diatorem latinus appellemus arbitrum. Nam postea quoque Philonem videbimus duo vocabula ξ μεσῆτε καὶ διατῆτε connectere et copulare. Sit itaque Moses mediator atque arbiter foederis. Quoniam autem Grotius docet f) duo omnino arbitratorum esse genera, unum conciliatorum, qui ad pacem conciliandam fiat delecti, alterum eorum, in quos compromissum sit, quorumque dicto parendum omnino sit, ut de illis valeat, quod Plinius g) ait, summum quisque causa sua iudicem facit, quemcumque eligit: Mosē nostrum, quia est mediator et arbiter foederis antiqui est, arbitrum conciliantem dicamus, qui foedus priscum et antiquum inter Deum immortalem et genus humanum, conciliavit. Est enim bellum maximum, sunt antiquae lites inter Deum, infinitis hominum iniuriis laesum, et inter genus mortalium rebellē, uti praclare noster Lutherus. h) Moses igitur mediator et arbiter inter Numen æternum et hominem sic intercessit, ut foedus componeret atque constitueret. Namque cum Deus foedus cum Israël iniret i) ut leges divinas sancte servaret, in foedere pangendo se medium inter Deum et populum fuisse, Moses ipse k) docet, id quod interpres Græcus l) gravissime sic exprimit, ut ad ipsam μεσῆτε dictionem respicere videatur. Postquam enim Deus promiserat, se ad foedus faciendum in monte Sinai compariturum, Exod. XIX, 5, 6: sic terribiliter deinde inter tonitrua et fulgura, foederis leges laturus, locutus est, ut populus, sermonem divinum deprecans, Mosē interpretem voluntatis divinæ, quem lubenter audire vellet, deligeret atque interponeret. Exod. XX, 19. Tunc certe populus Mosē mediatorem sibi sumfit et postulavit. Sed audiamus adhuc mediatorem hunc mori-

f) de iure belli et pacis L. III. c. XX. n. 46.

g) Præf. nat. hist.

h) in comment. poster. epistolæ nostræ f. 88.

i) Deut. V, 2. 3.

k) ibid. v. 5.

l) Καὶ γὰρ εἰσήκουεν ὁ κύριος μέσον κυρίου καὶ ὁνομασμένον ὑμῶν.

moribundum et concionantem. Posteaquam enim gravissime cives suos dehortatus est, ne augures atque praestigiatores, superstitionis abominabilis administratos, consulant vel audiant, alium prophetam audiendum esse docet, qui sicut ipse Moses fit, quemque Deus fit excitaturus. Tum vero ostendit, qua in re propheta ille sibi adeo similis fit extiturus. Scilicet quemadmodum olim populus a Deo, inter fulmina et ignes loquente, petiisset, ne divinum sonum audire cogeretur Mosenque mediatorem et arbitrum et interpretem inter se et Deum delegisset, Deusque delectum populi tunc comprobasset: m) ita Deum etiam posthac eadem ratione usurum, aliumque prophetam missurum esse, qui, sicut Moses, verba Dei in ore haberet, omnia, quae Deus vellet, praeceperet, adeoque pariter, ut Moses, mediator esset, inter Deum et populum intercedens, ne terribilem vocem Numinis ipsam unquam postea audiret. Digna sane sunt n) verba Mosis, quae legantur, examinentur, ponderentur. Nam illud omnino ex iis patere existimo, quod propheta ille magnus divinitus excitandus, quem Christum esse constat, fit cum Mose comparatus, quia Moses inter Deum et populum egit mediatorem et interpretem, atque foedus divinum humanumque confecit. Si itaque Christus propter foederis novi compositionem dicitur eius *μεσότης*: quare non Moses, cum Christo eam ob causam comparatus, *μεσότης* antiqui foederis item appellandus esset? Quae ita plana atque perspicua sunt, ut etiam Philo, Iudaeus, o) ubi Mosen *εἰνὸν* cum Deo in monte versatum esse et

m) Deut. XVIII, 17. דְּיִבְרֵי אִשְׂרָיִל דְּבָרֵי

n) Deut. XVIII, 14--19.

o) Philo L. III. de vita Mosis p. 524. editionis Colonienfis. *οὐ μὲσότης καὶ διαμεσότης ἐκ εὐδὸς ἀπεπήδησεν, ἀλλὰ πρότερον τὰς ὑπὲρ τῆς ἑθνικῆς ἰερωσύνης κ. λ. πρὸς ἐποίητο, συγγνώμην τῶν ἡμαρτημένων δέσμενος εἶτ' ἐξευμενιστάμενος ὁ κηδεμὼν καὶ πατριάρχης τὸν ἡγεμόνα, ἐπάνηκε χάριτον ἅμα καὶ κατηΨῶν.* Tanquam

et de vitulina populi superstitione divinitus monitum esse commemorat, non dubitet legislatorem Israëlī *μεσῆτην ἢ διατιτην*, mediatorem et interpretem vocare, simulque ostendat, quod sic extiterit mediator, ut hinc pro populo deprecaretur, inde Deum placaret. Quid planius quidve luculentius a Philone potuit dici, quam cum Mosen eo ipso tempore, quo foedus cum Deo in monte sancivit, *μεσῆτην* extitisse ostendit? Recte igitur riteque Mosen mediatorem dicamus, quem Paulus Christo mediatori toties opponit, quem inter Deum et hominem intervenisse historia demonstrat, quem denique Moses ipse in *μεσῆτη* munere cum Christo comparari debere pridem vaticinatus est. Sed illud quoque intelligitur, Mosen ea ratione mediatorem extitisse, qua cum Christo mediatore comparatur, dum verba Dei in ore eius fuerunt, et loco Dei ad populum verba foederis locutus est, quæ Deus ipsi præciperet, atque ita foedus conficeret cum Israëlē. p) Certe eleganter potenterque q) Flavius Iosephus, Iudæus, orationem Moysi describit, quam, de monte a Deo ad populum descendentem, habuisse dicit, ubi graviter populum monet, ne se contemnant, quasi lingua hominis loquatur. Non Moses, inquit, Amaram et loachebelz, filius, hic loquitur, sed is, qui patribus vestris tot tantaque beneficia, quæ singula recenset, tribuit, me interprete ad vos loquitur. Se enim in conspectum Dei venientem, vocem eius immutabilem audivisse. Quæ cum ita sint, credamus Mosen sic media-

quam sequester et arbiter non statim resiliit, sed prius deprecabatur pro populo, suppliciter orans peccati veniam: deinde placato rege omnipotente revertebatur mixta cum gaudio moestitia.

p) Deut. XVIII, 18. — וְהָיָה דְבָרִי בְּפִי וְדָבַר אֱלֹהִים כָּל — אֲשֶׁר אֶצְוֶה

q) Iosephus Antiqu. III. c. V. §. 3. Tom. I. p. 128. edit. Havercamp.

- - μη δ' ὅτι γλώττω ταῦτα ἀνθρωπίνῃ πρὸς ὑμᾶς λέγει - ἕως ὑμῶν τὰς χειρὲς τὰς λόγους δι' ἑρμηνείας ἐμῆς - - τῷ Θεῷ γὰρ εἰς ὄψιν ἐλθῶν, ἀπροσῆτως ἀφ' ὁρατοῦ Φωνῆς ἐγενόμην etc.

diatoris officio defunctum esse, ut modo leges foederis, a Deo præscriptas, ad populum deferret, modo populi consensum Deo renunciaret, atque hac ratione partis utriusque nuntius et interpret esset, uti bene Mosis mediatoris nomen Biblia Belgica, autoritate ordinum foederatorum scripta, exponunt r) Enimvero Mosen propterea mediatorem dici, quoniam internuntius atque orator divinus et humanus fuit, vel ex eo confirmatur, quod significatio hæc τὸ μέστρον ab usu et consuetudine linguæ Græcæ non abhorret. Ubi enim lobus, urgente calamitatum multitudine, sibi aliquem exoptat et deposcit, qui inter se atque Deum iudicet et sententiam ferat, Græcus interpres, cuius rationem dicendi cum Græca oratione Novi Testamenti plurimum convenire constat, disceptatorem Iobi μεσίτην s) appellat. Dicitur autem Ebraicè מוֹשֶׁה, quæ vox omnibus in locis Veteris Testamenti eum denotat, qui verbis gravibus alterum reprehendit, et obiurgat, id quod videbis Iob. XXXII, 12. XXXX, 2. Proverb. XI, 3. XXIII, 25. XXV, 12. XXVIII, 23. Ezech. III, 26. Esa. XXVIII, 21. Amos V, 19. Quæ omnia si recte ponderentur, satis existimo patere, ut Moseſ mediator vocetur, non opus, quod vulgo dicitur, esse, ut lites, quæ inter Deum et hominem sunt, ab ipso componantur et finiantur, sed sufficere, si Moseſ causam Numinis generisque humani verbis prosequatur, inter se comparet, aut omnino alteram partem, quæ est hominum, condemnet atque iniuriæ convincat. Posteaquam igitur demonstravimus, Mosen mediatorem dici et iure ita dici, et qualis sit mediator: propius ad Paulum accedamus, et ostendamus, eundem ab hoc gentium doctore nostro quoque in loco eodem nomine appellari. Id quod ut demonstremus,

B

et

r) Gal. III, 19. ad verba: in de hant des middelaers: sic commentantur: waer door sommige verstaen Mosem, die Godt gebruyckt heeft als een bode ende tusschenspreker tusschen hem ende het volck in 't geven van de wet.

s) Iob. IX, 33. εἴθε ἦν ὁ μεσίτης ἡμῶν, καὶ ἐλέγχων καὶ διακρίνων ἀνὰ μέσον ἀμφοτέρων.

et ea, quæ antecedunt, verba, et ipsa appellationis ratio et ea, quæ consequuntur, consideranda erunt. Legis Mosaicæ autoritate et potentia beandi antea destructa, iam quærit doctor divinus. *Τί βν ὁ νόμος*; quid utilitatis igitur lex Mosis habet? quem in finem lata est? Ostendit autem peccatorum gratia legem datam esse, ut eorum vis ex eadem magis perspicue cognoscatur, et Servatoris necessitas eo clarius intelligatur. Qua quidem demonstratione sic defungitur, ut omni modo de legis maiestate et dignitate detrahat, eamque beandi virtutem, quam legi detraxit, ad Christum, semen illud benedictum divinitus, transferat eique soli adiudicet. Qua de causâ, salutis via una et vera pridem in seminis huius benedicti facultate et virtute generi humano demonstrata, docet legem tantum quasi accessionem ordini illi salutis consequendæ factam, eidemque adiectam esse Rom. V, 20. Tum vero legalis illius autoritatis fines circumscrit et eius terminos sic definit, ut eam valere demonstrat tantum ad illud usque tempus, quo Servator optimus, cuius necessitatem tantopere lex urserit, ipse sit compariturus, legem cultumque Mosaicum antiquans. Quocirca cum dignitas legis cum Christi Servatoris potentia ne quidem sit comparanda, Deum quoque in foedere antiquo et lege Mosaica ferenda, non sicut in novo foedere per filium suum unicum et solum locutum esse foedusque sanxisse, sed ministerio et opera spirituum coelestium usum esse, qui etiam tum *πνεύματα λειτουργῶν* extiterint, u) cum tamen horum operæ salutis via, ab ipso Deo, terrarum Domino et Servatore Iesu Christo, communita, sit multis modis præferenda Ebr. II, 2. 3.

Sic itaque omnibus verbis ad contemptum legis Mosaicæ compositis, quis existimet, aut sibi possit persuadere, quando Paullus pergit disserere quod sit promulgata *ἐν χειρὶ μεσίτη*, per *τὸν μεσίτην* intelligi Christum, cuius solum nomen ad legis Mosaicæ præstantiam ostendendam sufficisset, quæ tamen hoc quidem in loco cum doctoris divini sententia pugnat.

Chri-

τ) Hebr. I, 14.

Christus hoc ipso loco nominatur semen benedictum, post legem latam venturum. Quare igitur post tria verba alio nomine *μεσῖτα*, iam in legis latatione praesentis fuisse appellandus? At vero si Christus iam esse nequit *μεσῖτης* Paulinus, omnino sequitur, ut Moses a Paulo indicetur, qui, quod demonstravimus, recte et iure mediator vocatur, et solus praeter Christum mediator vocari potest. Ipsa autem appellatio *Ἐ μεσῖτα* ab doctore divino hic ita est instituta, ut non aliter ac de Mose legislatore accipi queat. Dicit legem esse const tutam *ἐν χειρὶ μεσῖτα*. Sunt qui de Christo Paullum interpretantur, in cuius manu et potestate lex sit. Sed nescio qua ratione tunc lex possit dici praecipua in manu Christi. Deinde Graeca locutio *ἐν τῇ χειρὶ*, addito articulo, quidem in Novo Testamento sumitur modo de manu in propria significatione, Matth. III, 12. Luc. III, 17. Apoc. X, 2. 8. XIV, 14. XVII, 4. modo in significatione tralata potestatis. Io. III, 35. Sed *ἐν χειρὶ* omisso articulo Act. VII, 35. et in nostro loco de ministerio et opera ministrante videtur esse exponendum, more Ebraeorum, qui eodem modo dicunt *בְּיַד* Ex. IX, 35. Hof. XII, 11. Hag. I, 1. II, 1. Quod usque adeo verum est, ut etiam Syrus interpres locutione Ebraica, pro sua linguae ratione inflexa, utatur in loco praesenti, et quidem bis tum quando de ministerio spirituum coelestium, tum ubi de *μεσῖτη* ministro loquitur. x) Cum igitur *μεσῖτης* Paulinus iam talis est, cuius ministerium ad legem ferendam adhibitum est, cum angelorum ministerio coniungitur, imo eidem postponitur: profecto Iesus Servator *μεσῖτης* praesens esse nequit, qui omnibus modis angelis est praerendus, quique non sic est mediator, ut sit minister Dei, sed in quo Deus ipse secum mortale genus reconciliavit 2. Cor. V, 19. Col. I, 20. Sed vero si Christus hoc loco mediator non est, certe Moses intelligendus est. Id quod etiam ad sententiam Paulli proxime accedit, dum hac quoque appellatione Mosis *μεσῖτα* legis dignitas maxime imminuitur. Quoniam enim Paullus in eo to-

B 2

tus

x) אֲתִיקָב הוּ נֹמוֹסָה בְּיַד מְלֶאכָה כְּאִדָּה דְּמִפְעֻלָּהּ

tus est, ut demonstret, impossibile esse, ut legis opera homines iustitiam et felicitatem æternam consequantur, nihil sane aptius accommodatiusve dici ab eo potuit, quam quod ait legem sancitam esse ministerio Mosis mediatoris, nudi hominis, dum homo hominem frater fratrem a Dei ira liberare et cum eodem reconciliare nequit. Psalm. XL, 9. Sed quemadmodum ipsa præsens mediatoris appellatio et ea, quæ illam antecedunt, ostendunt, Mosen mediatorum dici; ita idem plurimum confirmatur ex iis, quæ consequuntur, quæque doctor divinus ex mediatoris nomine argumentatur, et cum sententia nostra optime cohærent atque connexa sunt. Hoc enim erat alterum, quod nobis sumimus demonstrandum, ut ostenderemus, quid ex mediatoris notione Paullus colligat et ratiocinetur. Quod quidem planum atque perspicuum est, modo in summa luce non ipsi oculos claudere velimus. Diluit enim Paullus argumentum, quod sibi opponi posse videt. Qua in re et occasio ad argumentum adversarium transeundi, et ratio argumenti adversantis, et ipsum argumentum contrarium, et ea, quæ doctor divinus ad illud refutandum respondet, distinguenda et discernenda sunt. Occasio ad contrariam argumentationem transgrediendi suppeditatur ab unica voce *ἢ μεόντα*. Est enim Paulo in more, ut ab uno vocabulo interdum ansam sumat, sibi met ipsi argumentum adversarii opponendi, idemque deinde confutandi, ut oratio floridior et concinnior existat. Sane videmus, eundem Rom. VI, 14. vocabulo solo *τῆς χάριτος* commemorato, deinde properare ad contrariam ratiocinationem proponendam. Vix verba Dei, Esavum odi, in medium attulit, ubi statim pergit ad argumentum adversarium ex illo odio nectendum. Rom. IX, 13. f. Eundem morem Paullum hic quoque tenere, quid est, quod dubitemus, si cætera favent, quæ sequuntur? Enimvero, potestate iam disputandi facta, progreditur ad rationem argumenti inimici atque eius fundamentum indicandum. *Ὁ δὲ μεόντης ἐνός ἐκ #εῖν ὁ δὲ Θεός ἐκ ἐσῖν*. Sane lex lata est per mediatorem. Mediator autem non est unius tantum partis. Deus autem est unus,

unus, tantum est una pars. Videt Paullus, postquam concessit, legem Moſis mediatoris opera promulgatam esse, recte aduersarios, contra quos disputat, sic argumentari posse. Si Moſes est mediator, reconciliatio duarum partium adſit, neceſſe est. Atqui Deus, qui opera huius mediatoris usus est, tantum una pars est. Ergo altera pars, opera mediatoris huius cum Deo reconciliata, genus humanum, cum quo Deus per Moſen egit, omnino debet esse. Quam conſiſionem, cum ſua luce pateat, Paullus, uti ſape, prætermiſit. Habes iam fundamentum et cauſam argumentationis aduerſantis, quam ſibi ipſi obiicit doctor Tarſenſis. Namque iam ſequitur propoſitio ipſius argumenti obiiciendi. Si igitur genus humanum est altera pars cum Deo per Moſen mediatoris reconciliata, ſequitur, ut *lex Moſis illius aduerſetur promiſſionibus Dei* de iuſtitia et vita æterna in Chriſto impetranda, quas ſolas iuſtitiam et felicitatem perpetuam generi humano largiri poſſe contendis? Quod quidem argumentum obiectum ex conſiſione ratiocinationis antecedentis, quam latere dixi, ſponte ſua ſic fluit, ut verborum ordo optime cohæreat, nec quicquam vel eiciatur, vel addatur verborum, quod non ex iis, quæ præcedunt, lectoris menti ultro ſe offerat. Nam κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν εἶναι idem eſſe ac promiſſionibus aduerſari patet ex Gal. V, 23. Sed, quod video pleroſque omnes abs me in eo diſſentire, quod verſum vigeſimum rationem et fundamentum argumenti contrarii aſſerre dixi, idem conſuetudini Paullinæ conſentaneum eſſe demonſtrabo. Namque, quod hic generatim primum Paullus reſpondet μὴ γένοιτο, idem facere conſuevit, ſi prius argumentum aliquod aduerſarii ſibi oppoſuit. Sed quod prius argumenti obiecti rationem, quam ipſum argumentum ſoleat aſſerre, et quidem ipſis illis particulis, quibus hic connectit orationem, huius rei exempla lectori meo comprobabo. Namque, ratione argumenti obiiciendi præmiſſa, cum eadem argumentum ipſam connectit particula εἴ, uti hoc loco, Rom. III, 31. VI, 2. 15. VII, 7. 13. IX, 14. XI, 11. in quibus ſingulis locis eadem reſponſio generalis μὴ γένοιτο reperitur. Ubi autem ex præmiſſis verbis rationem opponendi ratiociniū

affert, solet adhibere particulam δὲ. Sic Rom. III, 5. f. disputat ex eo, quod omnis homo fit mendax et ad rationem obiecti pergens ait, εἰ δὲ ἡ ἀδικία ἡμῶν Θεὸς δικαιοσύνην συνίστησι, τί ἔρξμεν. Obiectum ipsum sequitur μὴ αἰδιος ὁ Θεὸς ὁ ἐπιφύεωσ τὴν ἀρετήν; ad quod respondet μὴ γένοιτο. Sic in ipsa ad Galatas data epistola cap. II, 17. ex eo, quod antecessit δικαιοσύνη μὲν ἐκ πίστεως, arripit occasionem rationem argumentationis opponendæ quarendi. Εἰ δὲ ζητῶντες δικαιοσύνην ἐν χριστῷ, ἐπέσθημεν καὶ αὐτοὶ ἀμαρτωλοὶ. Post adiungit ipsum oppositum, ἅρα Χριστὸς ἀμαρτίας διάκονος; et respondet μὴ γένοιτο. Quod autem in nostro loco particula ἔν efficit, illud in priori το μὴ in posteriori τὸ ἅρα interrogandi particulae praestant. Quid? quod singulae particulae nostri loci eadem serie una cum ratiocinandis ordine se invicem consequantur Rom. X, versu ultimo et XI, 1. ubi primum habes rationem argumenti adversarii: πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει: Ὅλην τὴν ἡμέραν &c. deinde argumentum adversans ipsum λέγω ἔν, μὴ ἀπίστατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτῶ; denique responsionem μὴ γένοιτο. Cum itaque pateat, nostram expositionem totam a Paulli usu et consuetudine adeo parum discedere et abesse: non video quare non ipso illo more Paullino maxime confirmetur, dum praesertim ea, quae Paulus ad argumentum illud omne respondet, optime cum eodem sic explicato, conveniunt atque cohaerent. Enimvero primum concedit ex illo argumento sequi, ut non ex fide sola sed ex lege maxime iustitia nostra proficiatur, si modo haec conditio necessaria in lege adesset, ut nos possit ζωοποιῆσαι, vivificare, et ut appareat, quam vere, hac conditione impleta, haec dicantur, utitur vocula affirmandi ἔντως. Enimvero, quod iam Balduinus in commentariis suis vidit, ζωοποιῆσις et vivificatio hic non potest non excitationem bonorum motuum, quos dicunt, et spiritus sancti operationes gratiosas significare. 2. Cor. III, 6. Io. VI, 63. Quod si igitur lex, quae, sanctitate vitae perfecta et consummata Deum reconciliari posse et debere, recte ostendit, posset una vires necessarias ad sancte vivendum suppeditare: quid rectius dicas, quam ex legem nostram iustitiam esse, quam Moyses tunc sic vere esse mediatorem, ut lites nostras perpetuas, quae cum Deo

Deo nobiscum sunt, sopiret atque componeret. Sed enimvero hac conditione deficiente, tota illa argumentatio corrui, Moses mediator homines cum Deo in gratiam redigere nequit, et ex lege iustitia nostra, quæ debebat esse, non est. Rom. VIII, 3. Ebr. VII, 18. 19. Deinde posteaquam doctor Tarsensis demonstravit, qua ratione Moses cum sua lege mediator non sit, descendit ad declarandum, qua ratione mediator inter Deum et genus humanum iure quodam suo sit et dicatur. Moses cum sua lege *συνέκλεισε* conclusit omnia sub peccatum. Namque hic Moses hic mediator et arbiter ostenderit viam pacis et compositionis, ut homo legi Mosaicae, legibus foederis praescriptis, satisfaceret Gal. III, 12. et hac ratione cum Deo in gratiam rediret. Cum vero arbitri huius sententiae latae et legibus nequeat genus humanum obtemperare, idem arbiter, iam, ut iustus iudex, nos condemnat et carceri foedo peccatorum includit. Sed in hac ipsa quoque carceris custodia in his ipsis peccatorum vinculis, quibus confritri sumus, tamen Moses officium mediatoris continuat et exequitur. Quia enim ille peccatorum carcer nihil est aliud nisi molestissima peccatorum gravissimorum agnitio, *ὑπὸ νόμον ἐΦρεθέμεθα, συγκεκλεισμένοι εἰς τὴν μέλασσαν πύσιν ἀποκαλυφθῆναι*. Lex illa non solum nos in carcerem coniecit sed etiam *Φρεθεῖ* militum custodia nos circumsepit, ut ne elabamur, sed potius ad mediatorem Dei generisque humani perfectum Iesum Christum transmittit. Dum enim ex lege Mosis peccatorum et multitudinem et gravitatem intelligimus, nobis hac ratione necessitas alienae opis, alius mediatoris, qui etiam Servator esse possit, quaerendi imponitur atque iniungitur. Itaque Moses est mediator, dum contingenter iam ad Christum viam commoustrat, dum est *παιδαγωγός*, et nos observat sua lege, donec ad Christum venientes, apud eundem veram libertatem inveniamus et consequamur. Sit itaque Moses mediator, dum viam et rationem Deum hominesque conciliandi ostendit, licet eam non assequamur, dum lege foederis a se praescripta, nec tamen observata, alteram partem paciscentem, quæ a lege difcescit, damnat atque punit, denique dum contingit, ut alium, mediatorem melioris foederis meliorem, quæramus et tandem vel hoc modo bellum divinum atque humanum feliciter finiat. Cum igitur mediator sit et dicatur, qui inter Deum et homines intercessit ad utriusque partis litem definiendam, et Christus et Moses uterque est mediator, sic tamen ut illius digni.

dignitate et gloria et nomen Mosis mediatoris et obscuretur et plane obruatur. Et Christus et Moses modum et rationem placandi Deum præscribit et ostendit; ille autem possibilem hic impossibilem. Moses iubet Deo satisfacere, non iuvat. Christus homine non adiuvante Deum solus placat. Moses eum, qui legi foederis non stetit, accusat, damnat, punit. Christus damnatum ex carceribus evocat et in libertatem restituit. Denique accedit ut Moses nos ad verum melioremque mediatorem querendum suis minis legis suæ iugo adigat urgeat impellat, accedit, ut ordinem salutis impetrande inchoet. Christus autem solus vere totum reconciliationis negotium perficit, atque finit. Quæ cum ita sint, nonne dicamus Mosen mediatorem esse voluisse, neutiquam potuisse, aut esse potuisse, si nos eum ducem sequi potuissemus, nec tamen fuisse, denique tantum abesse, ut Moses cum sua lege se Christo vero mediatori opponat, ut potius eius sit præmonstrator et index? nonne iure suo et recte dixit Paulus alibi, sibi tamen consentaneus, *eis prætoris*, unum verum esse mediatorem Iesum Christum 1. Tim. II, 5. Alius certe est, qui negotium mediatoris suscipit, non finit, alius, qui idem suscipit et finit. Alius, qui inter Deum et hominem egit, qualis Moses fuit, alius qui inter utrumque transegit, et rem confecit. Alius qui docuit, qui iussit Deum placare, alius, qui solus eundem placavit. Sit itaque Iesus Christus unus et solus mediator, quem arripiamus quem suspiciamus, quem celebremus, quod ipse, non Moses non quispiam alius, inimicitias inter Deum et hominem sustulit e medio, quod ipse medius intercessit, nobisque nihil valentibus rationem Deum reconciliandi et invenit et pro nobis executus est, quod denique inter partem utramque pacem sua sola opera firmam et stabilem conservat. Atque hoc ipsum in causa est, quare hunc mediatorem, cuius nativitatem nuper feste celebravimus, laudaturi, oratores nostri iuvenes eras, quod felix factumque sit, in medium prodire secum constituerint. Nam

IO. LEBRECHT SÆTTLERUS, Hertzberg, oratione latina,
 IO. GOTTLÖB MARCKWORTUS, Pretzschens. carmine Germanico,
 GUIL. BENIAMIN ZAPFIUS, Torgav. carmine latino,
 GUSTAV. ADOLPH. TREPTIUS, Dresdens. oratione Gallica,
 IO. FRID. HERMANNUS, Torgav. oratione Germanica.

hunc pacis divinæ humanæque instauratorem celebrabant. Quorum iuvenum industriam ut patroni, atque amici Musarum nostrarum præsentia sua nobis perquam honorifica accendere velint, est quod hinc religiose inde perofficiose rogo et contendo. Dedi Torgavie d. II. Febr. cl. b. CCXXXVI.

AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112




TA → SL
Nov 75 fkt 1

R

VD 17







DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt


Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts

PPN 309763908

**De Mose Mediatore Commentatvr Et Ad Orationes
Avdiendas d. III. Febr. A. O. R. MDCCXXXVI.
perofficiose invitat M. Michaël Heinricus
Reinhardus, R.**

Reinhard, Michael Heinrich (Torgau: 1736)

AB 155056 (7)



309763908

Visual  Library

